

## APPENDIX

### AD SCRIPTA JOANNIS PAPÆ II.

#### EPISTOLA <sup>1</sup> (olim I) JOANNIS PAPÆ II

AD VALERIUM EPISCOPUM.

*Docet Christum Dominum, secundum deitatis naturam, Patri æqualem, secundum vero humanam naturam, minorem esse.*

Reverendissimo fratri Valerio episcopo Joannes.

Scripta tuæ sanctitatis suscipiens, plena ea fidei regula, qua plurimum polles, inveni, et Deo gratias retuli quod anima et corpore te bene vigere didici. Sane ea quæ significasti quosdam dicere quod non sit Filius æqualis Patri, et quod in Evangelio scriptum sit: *Pater major me est* (Joan. xiv), scias non recte intelligere tales fidei regulas, nec rectam fidem ponere se habere. Paulus apostolus <sup>2</sup> non secundum deitatis naturam Christum creatum insinuat, sed secundum humanæ naturæ substantiam eundem creatum affirmat, ipso Ephesiis conscribente: *Renovamini, inquit spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (Ephes. iv). Et ad Hebræos: *In eo enim in quo passus est ille et tentatus, etiam potest his qui tentantur auxiliari* (Hebr. ii). Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum, fidelem existentem ei qui creavit eum. Et ad Colossenses: *Nunc autem deponite et vos universa, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpiaque ex ore vestro non procedant. Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit eum* (Coloss. iii). Nunquid qui universam creaturam, visibilia, propria potestatis virtute creavit ac fecit, seipsum antea vel postmodum (quod dicere nefas) creavit, vel facere potuit? Filius minor <sup>3</sup> est Patre in assumpti hominis forma, æqualis vero Patri est in deitatis naturæ substantia, eodem protestante: *Ego et Pater unum sumus* (Joan. x). Et iterum: *Qui me videt, videt et Patrem* (Joan. xiv). Et iterum: *Qui me odit, odit et Patrem* (Joan. xv). Et iterum: *Ut sint in nobis unum, sicut et nos sumus unum* (Joan. xvii). Et iterum: *Tu in me, et ego in eis* (Ibid). Et iterum: *Omnia tua mea sunt* (Ibid). Et iterum: *Ego in Patre, et Pater in me* (Joan. xiv). Et iterum: *Pater in me manens facit opera hæc* (Ibid). Et Joannes evangelista ait: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. i); et iterum ipse ad Parthos: *Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra, spiritus, aqua, et sanguis: et tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus: et hi tres unum sunt* (I Joan. v). Nos itaque in uatura deitatis, qua unum sunt Pater et Filius, nec Patrem credimus aliquo tempore præcessisse, ne major sit Filio; nec Filium postea natum esse, ut deitate Patris minoretur. Si æqualis <sup>4</sup> Patri Filius non est, cur ita de illo Joannes evangelista testatus est: *Propterea, inquit, persequabantur Judæi Jesum et quærebant eum occidere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (Joan. v). Et Paulus apostolus: *Hæc sentite in vobis,*

<sup>1</sup> Quæ de hac causa subjiciuntur, non omnia ex uno, sed ex diversis codicibus deprompta sunt: ex Corbeiensi nimirum, Pithœanis duobus, Lirinensi et aliis; sed potissimum ex Rhemensi, qui plura cæteris continebat. JAC. SIRMONDUS.

<sup>2</sup> Hanc adulterinam multa probant.

<sup>3</sup> Ithacius adv. Varivadum seu Marivadum cap. 4.

<sup>4</sup> Idem Ithacius cap. 5.

<sup>A</sup> quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (Phil. ii). Et in Salomone: *Qui genuit me requievit in tabernaculo meo* (Eccli. xxiv). Et Ecclesiastico: *Sicut est ab initio, ita usque in sæculum; neque adjectum est ei, neque minuetur illi. Ipse est enim dominus creaturæ suæ, qui nihil eguit ab aliquo* (Ibid.). Et in psalmo lxxii: *Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? Hæc omnia Filium non inferiorem natura demonstrant, sed et æqualitatem deitatis annuntiant: quoniam qui utraque locutus est, verum dixit, quia Veritas mentiri non potuit. Taliter, <sup>5</sup> frater carissime, semper age, cæterosque omnes agere mone, ut abolito hoc qui natus videbatur errore, in laudem et gloriam Dei per totum mundum una fides sit, et una eademque confessio; ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (Philip. ii). <sup>B</sup> Data nonis <sup>6</sup> Augusti, Justiniano et Athalarico <sup>7</sup> viris clarissimis consulibus <sup>8</sup>.

#### CANONES JOANNI ASCRIPTI.

*Hi tituli canonum <sup>9</sup> quos nobis suprascriptus sanctus et dominus meus Joannes papa sedis apostolicæ cum præfata auctoritate direxit.*

Ex epistola Siricii papæ urbis Romæ Emerio [Himerio] episcopo Tarraconensi inter cætera ad locum, capitulo vii. *Et quia aliquanti, de quibus loquimur, et tua sanctitas retulit, ignorance lapsos esse se desunt, id est, ut ad uxores proprias redierint, his ea conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quandiu advixerint, officio perseverent, si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Si vero qui illiciti privilegii excusatione nituntur ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigni sunt, apostolicæ sedis auctoritate dejectos; nec unquam posse veneranda atrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præterita cavere nos præmonent in futuro, quilibet episcopus, presbyter atque diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum. Quia ferro necesse est excidantur vulnera quæ somentorum non senserint medicinam.*

Ex canonibus Apostolorum cap. xxv. — (<sup>10</sup> Quod episcopus, aut presbyter, aut diaconus, si pro criminibus damnati fuerint, minime communionem priventur.) — *Episcopus, presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut perjurio captus est, deponatur, non tamen communionem privetur; dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum* (Nahum i).

Ex canonibus suprascriptis cap. xxix. — Quod officium pristinum damnati pro criminibus usurpare non debeant. — *Si quis episcopus, presbyter aut diaconus, depositus juste super certis criminibus, ausus fuerit atrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia sibi abscindatur.*

<sup>5</sup> Idem cap. 6.

<sup>6</sup> S. Leo epist. 15.

<sup>7</sup> Pridie nonas.

<sup>8</sup> Falsa consulum adnotatio.

<sup>9</sup> Anno Christi 533.

<sup>10</sup> Ansulis inclusa, quæ deerant in Labbeo, suppleta sunt ex cod. 574 Palat. Vatic.

\* Ex canonibus Neocesariensibus xcv. — De presbyteris qui fornicati sunt. — *Presbyter, si fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit amplius, pelli debet et ad penitentiam redigi.*

Ex canonibus Antiochenis capitulo iv. — De damnatis et ministrare tentantibus. — *Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Sed et communicantes ei omnes abjici de Ecclesia, maxime si posteaquam didicerunt adversum memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint.*

Ex canonibus suprascriptis capitulo xv. — De episcopis ab ejusdem provinciæ episcopis consonanter exclusis. — *Si quis episcopus de certis criminibus accusatus condemnatur ab omnibus episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium episcoporum provinciæ manere sententiam.*

Tituli infra scripti ad hoc de canonibus excerpti sunt, ut unusquisque breviter possit agnoscere quod clerici post crimina capitalia non possint ad honorem pristinum revocari.

Ad locum, de synodo Nicæna (Can. ix), id est 318 episcoporum. *Si qui forte indiscrete ad sacerdotium prorecti, postmodum vel ipsi aliquid de se criminorum professi sunt, vel ab aliis reiecti, abjiciantur.*

Incipiunt tituli canonum Gallicani.

De synodo Valentiniæ civitatis episcoporum 18, idus Julias, Gratiano III et Equitio consulibus (Can. iv). *Nec illud, fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis quicumque sub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel episcopatus, mortali crimine dixerint se esse pollutos, a suprascriptis ordinationibus submovendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim solvi ab his potest, si in ipsos se dixerint, quod dictum in alios puniretur, cum omnis qui sibi fuerit mortis causa homicida sit. Divina vos pietas in æternum protegat, fratres dilectissimi.*

Item ad locum de synodo Aurelianensi episcoporum 30. *Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiserint, simul ab officio et communione pellantur.*

Item ad locum de synodo Justinianensi \*. *Si quis diaconus aut presbyter, post acceptam benedictionem leviticam, cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.*

Item de synodo Epaonensi episcoporum 34. *Si quis diaconus aut presbyter crimen capitale commiserit, ab officii honore depositus in monasterium detrudatur, ibi tantummodo quandiu vixerit communione sumenda.*

Ecce manifestissime <sup>b</sup> constat, quia secundum quod et tituli antiquorum Patrum a sancto Joanne papa transmissi, et trecentorum decem et octo episcoporum sententia, sed et canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis reiecti, ad honorem redire non possunt. Et quia forte non deerunt, quibus pro nimia pietate suprascripta sanctorum Patrum severitas minime placeat, sciant se et trecentorum decem et octo episcoporum præcepta, et sancti papæ auctoritatem, et illorum pontificum qui ordinantibus trecentis decem et octo episcopis reliquos canones

\* Sic appellat, ut ante monui, conciliam primitivam Arausicanum a loco ubi celebratum est. JAC. SIMONDUS.

<sup>b</sup> Citatur initium hujus tractatus a Gratiano decr. 50, c. p. 23: *Si quis diaconus; et perperam tribui-*

statuerunt, sententias reprehendere vel damnare. Sed forte major in illis est pietas quam in suprascriptis trecentis decem et octo episcopis: major in illis misericordia quam in sancto Joanne apostolico papa; major charitas quam in reliquis sanctis sacerdotibus qui hoc pro exemplo vel remedio Ecclesiarum suis definitionibus deliberaverunt. Et ideo aut plena [prona] voluntate præceptis illorum consentiant; aut si non fecerint, omnibus se contrarios et inimicos esse cognoscant. Quæ est ista justitiæ inimica benignitas, palpate criminosos, et vulnera eorum usque ad diem judicii incurata servare? Quod si etiam durissimam eos penitentiam per plures annos agere videremus, sic nos ipsi et saluti eorum consulere, et canonum deberemus statuta servare. Cum vero in aliquibus nec compunctionis humilitas, nec instantia orandi vel plangendi appareat, nec B. David imitentur, qui dixit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (Psal. vi); et illud. *Cinerem sicut panem manducabam, et potum meum cum fetu miscebam* (Psal. ci), nec eos jejuniis vel lectioni vacare videamus; possumus cognoscere, si ad honorem pristinum redierint, cum quanta negligentia et cum quanto tempore et inimica animæ securitate permaneant, credentes quod sic eis non acta digne penitentia dimiserit Deus, quomodo sacerdotes indulsisse videntur. Vere dico quia illi [ipsi] quibus cum periculosa et falsa misericordia indulgere videmur, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenerint, contra nos ipsos causas dicturi sunt, dicentes: *Quod dum aut asperitatem linguæ eorum expavimus, aut falsa blandimenta et periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, nos eos, dum illis inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut ipsa peccata etiam sugere permiserimus, non recordantes illud quod in Veteri Testamento scriptum est, quia uno peccante contra omnes Dei ira deservit* (Num. xvi). O pietas! o misericordia! uni parcere, et omnes per exemplum malum in discrimen adducere! Non ita suadet sanctus ac beatissimus Cyprianus martyr dicens (*Libro de Lapsis*): *Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi somitem subministrat, nec reprimit delicta illius, sed fovet; et iterum: Imperitus est medicus, qui tumentes vulnere sinus manu parcente contrectat, et absconditum in profundis recessibus virus dum servat exaggerat.* Unde et sanctus Joannes Constantinopolitanus episcopus arguit dicens: *Imperitus est medicus qui ante digestam putredinem superinducit vulnere cicatricem.* Et ideo diligentius perpendite, si aut potest, aut debet fieri, ut, tantorum ac talium quos supra memoravimus sacerdotum canones contemnentem, aliter quam illi statuerunt observare vel agere præsumamus: præcipue cum si illorum trecentorum decem et octo episcoporum, qui per omnes Ecclesias concilia fieri præceperunt, tam sancta decreta negligimus, non illos solos dispiciemus, sed, sicut supra jam dictum est, et Africanos pontifices, et omnes reliquos, qui ipsis ordinantibus per totum mundum pro ecclesiastica disciplina aliquid statuerunt, cum peccato animæ nostræ contemnemus. Ego me in hoc periculo mittere omnino non audeo, quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere præsumam; nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tantos ac tam sanctos sacerdotes qui canones statuerunt, causas dicere possim. Videat unusquisque quæ aliter sentire vel observare disponit, qualiter possit in die judicii reddere rationem. Ego, in quantum Deus vires dare dignatur, studere volo eorum præceptis obedire, quia cum illis non rixam, sed

tur *Hormisdæ*. Cujusnam verò sit auctoris veteres libri non indicant. Casarii fortasse non immerito videri possit. JAC. SIMONDUS.

\* Hic totus cano suppletus est ex cod. Vatic. cod.

pacem et qualemque partem habere desidero. Et hoc diligenter attendendum est, quod si, secundum quod supra scriptum est, illi clerici qui ad uxores proprias redeunt, ad integrum ab officio suspenduntur, et si etiam digami, aut interuptarum mariti, qui utique rem licitam faciunt, clerici tamen ordinari non possunt, aut si ordinati fuerint, dejiciuntur, <sup>a</sup> de quibus et Faustus episcopus sanctus in epistola sua dixit: *Perdit gratiam consecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti*; cum hæc ita sint, qua conscientia quisquam dicere poterit, quod ille qui adulterium commiserit iterum ad honorem redire possit? Hoc loco si aliquis fuerit qui dicat: Ergo negas misericordiam Dei qui dixit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (Ezech. xxxiii)?* et illud: *Nunquid qui cadit non adjiciet ut resurgat (Psal. xl)?* et illud: *Peccator in quacunque die conversus fuerit, omnes iniquitates illius oblivioni tradentur (Ezech. xxxiii)*. Ad hæc libera voce respondere et possumus et debemus: Absit a nobis ut de istis sententiis videamur vel leviter dubitare. Definivissime enim credimus quod qui usque ad finem vitæ suæ pœnitentiam egerit, non solum indulgentiam accipiat, sed etiam ad præmia æterna perveniat. Propter regulam tamen ecclesiasticam, et propter antiquorum Patrum statuta, quæ absit a nobis ut reprehendere aut discutere audeamus, eum quem credimus ad vitam æternam post actam pœnitentiam venire, ad honorem clericatus secundum sanctorum Patrum præcepta novimus non debere reverti. In tantum ut in canonibus scriptum sit: *Ne ullus unquam pœnitens clericus ordinetur*. Et si ille qui ultro petit pœnitentiam, quamvis perfecte agat, non potest aut episcopus, aut presbyter ordinari, ita ut, etiamsi per ignorantiam ordinatus fuerit, et postea convincitur pœnitentiam accepisse, dejiciatur: ille qui invitus ad pœnitentiam agenda in monasterium mittitur, et utique qui aliud quam pœnitens dicendus est, qua conscientia ad sacerdotium redire permittitur? Nemo mihi alia quælibet contra auctoritatem sedis apostolicæ, aut contra trecentorum decem et octo episcoporum præcepta, vel reliquorum canonum statuta objiciat, quia quicquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum sanctum locutum esse credimus, dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito. Valde enim meo et contremisco illam damnationem quam Heli sacerdos propter stultam indulgentiam accipere meruit (*I Reg. iv*). Qui pro eo quod filios suos negligenter castigavit, ut eos nec cedere, nec excommunicare voluerit, ipsi filii una die occisi sunt, et triginta milia de populo interfecta sunt, et arca testamenti in captivitate ducta est, et ipse retro cadens fractis cervicibus mortuus est, et nomen ipsius de libro vitæ deletum est. Et econtra Phinees, qui pro eo quod zelo Dei commotus duos adulteros pariter interfecit, totum populum de Dei iracundia liberaverit (*Num. xxv*). Nec hoc ideo dico, ut sicut ille fecit,

<sup>a</sup> Codex Corbeiensis, quibus et dominus Faustus in epistola. Pithœanus alter [nec non c. H], de quibus et sanctus Faustus in epistola. Floriacensis, de quibus et sanctus Faustus episcopus in epistola. JAC. SIMONDUS.

etiam nunc per mortem corporum sacerdotes Domini debeant vindicare; sed quia melius est ut unusquisque parvo tempore, donec vivit in hoc mundo, verecundiam vel confusionem sustineat, quam postea ad supplicia æterna perveniat; et multo ei utilius est propter aliorum exemplum, quamdiu vivit, remotus ab honore pœnitentiam agat, et remedium sibi in die necessitatis acquirat. Quicumque parvitati meæ in hac causa voluerit onerosus existere, aliud ei responsum dare non delibero, nisi quod suprascripti canones continere videntur. <sup>b</sup> Hoc ideo dico, quia dum cito crimina capitalia committentibus indulgemus, plurimi, qui nec Deum metunt, nec sensus disciplinæ ecclesiasticæ expavescunt, sine ullo pudore ac reverentia, per indignas familiaritates extraneorum mulierum, et seipsos decipiunt, et famam Christianæ religionis blasphemari etiam ab extraneæ religionis hominibus faciunt. Et ideo justum est, ut dum eis secundum omnium canonum statuta redeundi ad honorem aditus clauditur, tandem aliquando tam gravi malo finis congruus imponatur. Quia quando, diabolo persuadente, aliqui clericorum in aliquod peccatum, et præcipue in adulterium, lapsi fuerint, <sup>c</sup> quam expedit de animabus statuta canonum cogitant, per falsam pietatem ita totis viribus elaborant, ut aut nec mittantur in monasteriis. Si autem, certe post non longum tempus, importunitate nimia, et disciplinæ ecclesiasticæ inimica, extorquere conantur ut redeant ad honorem; qui chartulam istam cum suprascriptis titulis canonum non fuerit aspernatus, nec eam pro rusticitate sermonis despexerit, contra inimicos ecclesiasticæ regulæ multum eum poterit adjuvare, ut libera fronte dicat, sicut jam suprascriptum est, se contra tam sanctas antiquorum Patrum constitutiones venire nullatenus posse. Ego hæc cum omni humilitate suggerens, absolvo apud Deum conscientiam meam. Quicumque autem aut importunitate, aut adulatione, aut falsis blandimentis inclinatus fuerit, ut censuram ecclesiasticæ disciplinæ non teneat, videat qualiter se ante tribunal Christi expediat, ubi contra eum omnes qui canones statuerunt causas sunt sine ulla dubitatione dicturi. In quorum dominorum meorum sacerdotum manibus chartula ista pervenerit, si eam alius sacerdotibus non solum ad legendum offerre, sed etiam ingerere transcribendam noluerint, timeant ne inde reddant in die iudicii rationem. Nec illud credimus omittendum, ut iis qui pro scelere suo a præsidibus seu a rectoribus populi fuerint interempti, et sepulturam in cœmeterio Christianorum habere, et offerentium pro ipsis oblationis juxta canonum indicamus licentiam non negari. Violatores vero sepulcri licet Augustorum principum capitaliter damnet sententia, tamen si qui in hoc facinore fuerint reperti superstites, ab ecclesiastica communione priventur: quia nefas est ut eis Christianorum non obseretur consortium, qui temeritatis ausu humatorum cineres reddere præsumperunt inquietos.

<sup>b</sup> Hucusque codex Corbeiensis, et Pithœani ambo [cum c. H]: cætera ex unico sunt Rhemensi.

<sup>c</sup> Locus in ms. corruptus.

ANNO DOMINI DXXXVI.

# AGAPETUS PAPA I.

Notitia de libro Pœnitentiæ.

Agapetus <sup>a</sup> natione Romanus, ex patre Gordiano

presbytero, clericus ad sanctos Joannem et Paulum,

<sup>a</sup> Anno Christi 555, ipsa hieme, Agapetus archidiaconus apprime eruditus in locum Joannis papæ

subrogatus fuit, ut constat ex epistolis Agapeti ad Justinianum imperatorem et Reparatum Carthagen-